

DEDICATIO.

Primo enim perplacet mihi, & laudabile est coram Deo ejusq; Angelis, quod in inclyta urbe vestra, non solum veritas & puritas Evangelii viget, sed in primis et jam illa capita fideliter in omnibus templis pro concione tractari, & simplicioribus animulis inculcari solent, quae D. M. Lutherus in Catechismo suo non sine divino afflatu, & magno cum emolumento Ecclesiae Christi comprehendit.

Deinde, semper animo meo recursum, & dum quicquam vitalis calor in hac pectore palpabit, nunquam memoria illa evanescet, quibus & quantis beneficiis, in inclyta urbe vestra, non solum ab amplissimo senatu, & reliqua tam Patriciorum quam Civium multitudine, sed in primis et jam à vestris parentibus affectus & ornatus sum, cum ibidem ante annos undecim membrum S. Ministerii essem, & in templo ad D. Johannem munus Pastoris peragerem. Cum itaq; teste Seneca & Tullio, nullum officium magis, quam referenda gratia, necessarium sit, & ego nullam alias talionem reddere, nec mensuram eadem remetiri potuerim: hunc laborem vobis, cum summa testificatione beneficiorum in me collatorum, tanquam Symbolum & tessarum debita gratitudinis mea nuncupare volui.

Idq; postremo hanc ob causam libentius, quod satis liquidè evidenterq; mihi constat, de singulari omnium vestra pietate & amore verbi divini. Non enim vobis incognitum est Sanctarum scripturarum autoritatibus colla subdenda esse, ut ad intellectum quisq; per fidem veniat. In primis vero vos non subterfugit illos, qui in doctrina Catechetica bene fundati sunt, in hisce turbulentissimis & periculissimis temporibus, adversus omnem haeresin consistere, imò adversariis resistere, validissime posse. Ut enim Catechismus Diabolo, ejusq; organis haereticis semper sudes in oculis, imò venenum planè fuerit: ita et jam nunc in postremis his temporibus, vires suas exerit tam firmas & efficaces, ut licet Sathan misericordia Dei, solius Catechismi adminiculo, ex suis faucibus ereptas esse luget; nihil tamen contra sentare vel efficere possit.

Quapropter non dubito, quin haec dispositiones Catecheticae, ut ab omnibus piis, ita & à vobis potissimum approbentur, ideoq; ut munus hoc oblatum, sereno à me vultu accipiatis, & meum inde erga vos animum cognoscatis, officose rogo.

Deo uni & trino ex animo gratias ago maximas, quod inde ab initio mundi, ex genere humano, per Verbum & Sacramenta, aeternam sibi colligat Ecclesiam, ac me quoq; in eorum numerum vocaverit, qui patefactiones divinas, non ex lacunis & cisternis propriarum opinionum, sed ex fontibus Israelis, & omnibus rectè dicentibus haurire valent: Eumq; ardentibus votis precor; ut in fluctibus saevientis hujus mundi, tranquilla nobis & tuta halcyonia largiatur, ad ea studia excolenda, quibus sui noticia omnibus nationibus, gentibus & linguis innotescat, propter Dominum nostrum Iesum Christum. Amen. Dabatur ex Museo meo Oldenbrocensi, 10. Decemb. Anno 1618.

Vestrae Reverentiae, prudentiae
& integrit.

addictissimus,

M. CHRISTOPHORVS BARBAROSSA, &c.

CATA.